



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

De Matricvla Concilii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

ANNO  
CHRISTI  
1438.

debeant extra aliquid manifestare, nisi prius fuerit visum & visitatum per deputandos ad hoc exercitium, ne de eadem re contingat varia & diuersa instrumenta dari vel fieri.

DE MATRICVLA CONCILII.

Num.  
XXVII.

**V**T autem euitetur omnis confusio, & sciantur patres, qui ratione huius sacri Concilii ad hunc se locum transtulerunt, auisarunt prædicti domini vtile fore & expediens, quod omnes patres hic iam congregati, & ceteri venturi, in vno libro per aliquem vel aliquos deputandos matriculentur & describantur.

DE NOVA PRÆLATORVM  
VOCATIONE.

Num.  
XXVIII.

**L**ICET autem in translatione Basileensis Concilii ad hunc locum Ferrariæ generaliter omnes prælati, & ii qui de iure vel de antiqua consuetudine in generalibus Conciliis interesse tenentur, fuerint euocati; nihilo minus vt numerus patrum eo in hoc loco sit maior, quo quæ tractanda veniunt, ardua sunt & præcipua, auisarunt domini prædicti vtile fore & necessarium, vt fiat vocatio prælatorum, in specie scribendo per prouincias singulas archiepiscopis, vt vna cum eorum suffraganeis iuxta certum tempus præfigendum debeant in hoc sacro Concilio conuenisse. Et nihilo minus addere in hac requisitione, quod non obstante hac termini pendentia, sanctissimus dominus noster vna cum sacro Concilio non desistet a prosecutione eorum quæ iam inchoata sunt, & potissime circa reductionem, iuxta exigentiam rerum occurrentium pro vtilitate vniuersalis ecclesiæ & totius populi Christiani. Similiter, quod vocentur reuerendissimi domini cardinales.

Die Martis vndecima mensis Februarii, supradicto reuerendissimo domino Iordano episcopo Sabinensi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali pro solenni congregatione in capella supradicta tenenda præsidente, de mane iuxta intimationem die hesternæ in valuis, siue portis palatii apostolici, ac maioris ecclesiæ Ferrariensis, nec non monasteriorum ciuitatis Ferrariensis generaliter factam, compa-

Nu. XXIX.